

isti hoc mihi respondeant, quo tandem pertineat, vel cuius magni usus sit, anxie nimium obseruasse, quænam sit *prima tellus* apud Maronem I. Georgicorum dicentem:

— Tuq; ò cui *prima frementem*

*Fudit equum tellus magno percussa tridente.*

Vtrum simpliciter *prima tellus* ibi pro litore, vt Seruius autumat, accipienda sit, an alia historia remotior, vel fabula potius obscurior lateat. Item quo sensu *passerem Catulli* accipere conueniat: aut quæ volucris fuerit concordiaæ symbolum, Cornix an Ciconia apud Satyricum. Hæc & mille alia his adhuc frigidiora si inuenire & magno deinde tumultu circumferre illi sibi gloriosum existimant: quur mihi quoq; ego non ducam honestum, vel etiam multo honestius, si quæ ex Hieronymo & Augustino, cæterisque sacris authoribus obseruare potui in sanctissimo & grauissimo hoc carmine enarrando assumerem? Neq; id, vt fortassis aliquibus videbitur, vllius iactantiaæ vitio fecimus, sed studio iuuandi impitiores, & exacti? explanandi ea quæ videbantur paulo seduliorum interpretis diligentiam desiderare. Quod si nõ sumus vnde quaq; affecti, vt omnib. etiam vitiligatorib. satisfacerem?, voluisse tamen abũde pulchrũ atq; magnificũ est, vel teste Plinio grauissimo scriptore. Nã omnib. bonis in reb. vt etiam inquit Apuleius, conatus in laude, effectus in casu; & sicut ad pœnam sufficit

me-